



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 50. Concilium Ravenannum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

pontificatus tui sexto, quinta Junii. E-
 rat dies sabbati post Pentecosten. Rex
 Philippus Pulcher tum Pontiferae sena-
 tum habebat suum; cui intererant Ar-
 chiepiscopus Narbonensis, ac Episcopus
 Bajocassinus, ambo de numero Cogni-
 torum: & cum a Senatu non possent
 discedere, reliqui Melodunensem in Ab-
 batiam venere, ut cum Rege ac illis
 colloquerentur, & actioni finem face-
 rent.

Sæcul. XIV.
 A. C. 1311.

S. L.

Concilium Ravennanum.

Eodem tempore Raynaldus Archiepis-
 copus Ravennas ob eandem Tem-
 plariorum causam, & ut Papæ jussu ad
 generale concilium se præpararet, syno-
 dum habebat. Convenerant octo pro-
 vincia Episcopi, ac tres Inquisitores
 duo Dominicani, tertius ex Minorum
 Ordine. Septimo decimo Junii, cum
 Ravennæ in Archiepiscopi palatio simul
 essent, adducebantur ad eos septem Tem-
 plarii: quibus ad jusjurandum adactis
 accusationis capita summo a Pontifice
 missa, & verba testium legebantur. Ad
 omnia pro se quisque respondebant, nec
 videbantur commoti vel timidi; & illata
 sibi crimina cuncta pernegabant. Ar-
 chiepiscopus iis remissis rogabat Asses-
 sores,

Rub. lib. 6.
 p. 522. 524.
 &c.
 to. II. Conc.
 p. 1533.

Sæcul. XIV.
A.C. 1311.

res, an ad illos iuravidos iatis auctoritatis tenere se putarent? affirmabant; an Equites tormentis essent subiiciendi? negabant præter Dominicanos; an rem Papæ iudicio relinquerent? nolebant, eo quod instaret concilium generale; denique, utrum accusati purgare se, an absolvi deberent? statuëbatur purgatio. Sed postridie placebat fontes puniri, absolvi innocentes, ac pro talibus haberi eos, qui nocentes se tormentorum metu dixissent. Quinque tamen purgationem fecere canonicam.

Rub. p. 837.
to. II. conc.
p. 1569.
art. 26.

Hoc ipso in concilio decretum triginta duo puncta continens promulgabatur, ut revocarentur antiqui canones parum observati. Punctum maxime considerandum attinet ad violentias allatas Episcopis utpote captis, percussis, reclusis, aut de sua depulsis Ecclesia, bonorumque suorum jacturam passis. In auctores & socios horum scelerum accumulatur omnes censuræ ac poenæ sacræ pulsorumque ac spoliatorum Præsulum victui providetur. Talia verò mala reprimi nequibant nisi per vim ac potestatem profanam: quam qui adhibere posset, Princeps tum non dabatur in Italia. Nam etsi Rex Romanorum Henricus Luxemburgius in Lombardia erat cum exercitu, id solum agebat, ut ipse agnosceretur supremus Princeps. Hæc Concilii

p. 1601.

Concilii Ravennani sanctio in templo Sæcul. XIV.
 metropolitano edicta fuit an. 1311 die lunæ A. C. 1311.
 20 Junii : qua die probabiliter solutus
 est conventus.

§. LI.

*Monitio spectans ad concilium
 generale.*

Initium concilii generalis faciendum e-
 rat eodem anno prima Octobris. Papa
 Episcopis cunctis præceperat, ut illuc
 apportarent commentarios rerum omnium,
 quæ ibi essent præscribendæ in bonum
 Ecclesiæ. His de monitionibus duæ Sup. lib. 89.
 supersunt nobis : Guilielmi Durantii E- §. 46.
 piscopi Mimatini erat altera ; altera cu-
 jusdam Episcopi, cujus nomen latet. Po-
 sterioris moniti hæc est summa. Quod Ragn. 1311.
 attinet ad primum punctum de Templariis, n. 55.
 dicit ille permultum interesse, ut Pa-
 pa hunc Ordinem tam infamem, &
 qui nomen Christianum ethnicis odiosum
 redderet, protinus aboleret neglectis mo-
 nitionibus frivolis, quæ in ejus defen-
 sionem fierent : nam esse in mora peri-
 culum posse. Quod contingit punctum n. 56.
 alterum de auxilio terræ sacræ ferendo,
 ait successus boni spem esse modicam ob
 discordiam Principum Christianorum.
 Progressus temporis hoc ostendit satis.

Hist. Ecclesiast. Tom. XXII. Zz Lattus